

Q. K. 122, 33.

(X 2000 300)

Ya  
217

D. F.

# ALTENBURGO

*qui favent,*

ut

ad audiendam

ORATIONEM VALEDICTORIAM

de

# ALTENBURGO

III. Eid. Maj. A. C. c<sup>o</sup> Ibc LXXIII.

H. L. Q. S.

recitandam

*frequentes confluant,*

submissè, officiosè ac observanter

contendit

M. PAULUS MARTIN. SAGITTARIUS,

Rector Scholæ Altenb.

---

ALTENBURGI,

Typis Gothofredi Richteri, Typogr. Aul.





DE ALTENBURGO, antiquo Misniae oppido, in pulpitis Scholasticis hodie dicit bonae monetae Juvenis, patriae adductus amore ac pietate. De *Altenburgo* itaque ut praesentibus agam pagellis, perorantis propositum svadere videtur, quin & exigere. Hic autem uberior ac copiosior differendi se offert materia, quam hujus opellae angustia permittit. Proinde ut chartae spatium consulam, ex multis BURGGRAVIATUM elegi confiderandum, brevi adducturus, quae de eodem Historiae patriae scriptorum lectio suppeditavit. Ante vero quam telam propositam texere incipiam, de ipsa *Burggraviatus* dignitate quaedam praefari mecum constitui. *Burggraviatus* à *Burggravio* nomen habens eum quondam significabat honoris gradum, quo Viro arte Marteque claro castri, vel oppidi muniti custodia, ut & juris Imperatorio nomine dicendi potestas concedebatur. *Burggravius* autem *Burgo* debet ortum, quae vox juxta Fl. Vegetium l. IV. de re milit. c. 10. *castellum* denotat *parvulum*, vel ex mente Luitprandi l. III. de reb. per Europ. gestis c. 12. *domorum congregationem muro non clausam*, vel secundum alios *oppidum mœnibus & turribus cinctum*. BURGGRAVII igitur nomine olim veniebat, qui castello aut oppido contra hostium impetum tuendo praepositus, negotia civilia loco Imperatorum eorumque autoritate moderabatur. Ejusmodi

BURG-



BURGGRAVIOS habuere Magdeburgum, Norinbergam,  
Stromburgum, Reineccia, Misna, Ciza, Leisnica, Do-  
ninum, Wethinum, Kirchberga, Starckenberga hujus  
Præfecturæ, & nostrum quoque Altenburgum. Ex quo  
patet Casp. Peucerum l. V. Chronic. f. 528. *Burggraviatus*  
*limites nimium coarctasse*, dum Episcopis adjun-  
ctos fuisse BURGGRAVIOS asserit, ut res civiles curarent,  
Ecclesiamque adversus aliorum injurias defenderent.  
BURGGRAVII enim eum quoque locum incolebant, qui  
sede Episcopali aut Abbacia non erat nobilitatus, ut ex  
quibusdam locis adductis colligere cuivis est in proclivi.  
Sicut verò Marchionatus, Palatinatus & Comitatus di-  
gnitas primâ imperii nostri ætate fuit ambulatoria, ita &  
*Burggraviatus*. Patre siquidem defuncto in dignitate  
paterna succedendi nulla filio relinqvebatur spes, nisi  
quam Imperator aut Provinciæ Dominus ex singulari  
clementia ipsi fecerat. Sequentibus autem temporibus  
indulgentia Imperatorum fiebat, ut ad liberos quoque &  
posterios BURGGRAVIATUS honor, jure quodam hæredi-  
tario, devolveretur; Sic Fridericus Comes in Zollern à  
Rudolpho Imperatore impetravit, ut Burggraviatus  
Norinbergensis dignitate posteri quoque serie non inter-  
rupta, gauderent. Conf. Spangenbergii *Adelspiegel* part.  
I. f. 317. Christ. Besoldi *Thef. pract.* f. 125. Joh. Limnæ-  
us l. IV. J. P. c. 4. Gerh. J. Voss. de rebus gestis Fabiani  
Sen. Burggravii Dhonensis. Sed ad rem, in qua tria expe-  
dienda esse video. Primum est de tempore, quò BURGGRAVIATUS dignitate auctum est oppidum nostrum;

Inscriptio, quæ in Curia nostra cujusvis patet oculis, tempus probabili conjectura definire videtur, asserens, auspiciis Imperatoris *Heinrici Aucupis Burggraviatum* hic fuisse institutum; Optimus enim Imperator Imperium ab Hunnis aliisque hostibus infestis infestari subinde videns, præter Comites Limitaneos, quos in Misnia, Marchia & Holsatia constituerat, *Burggravios* quoque castris quibusdam Misniæ ac Saxoniam imposuit, ut eadem contra frequentes Soraborum, Venedorum, Sclavorum aliorumque irruptiones tuerentur. Conjecturam hanc non vanam esse exemplo probatur *Ulrici Burggravi* *Altenburgensis*, qui prælio cum Hunnis, juratis gentis Germanicæ hostibus, habito, ut & ludis equestribus Martisburgi ab Heinrico Imperatore A.C. 933. vel 935. celebratis interfuisse dicitur Ern. Brotuffio l. 1. Chron. c. 15. Georg. Rixnero in *Thurnirbuch*. & Cyr. Spangenb. part. 1. Chron. Mansf. c. 124. f. 169. Et sic corruat necesse est Laur. Peccensteinii sententia, quæ Theatr. Sax. part. III. f. 129. *Burggraviatum* à Friderico II. Imp. A. C. 1224. hic esse institutum affirmat.

Alterum paulò est intricatius, agitque de genuina *Burggraviatus* sede, quæ à quibusdam *castrum*, ut olim vocabatur, ab aliis *oppidum* assignatur. Petrus Albinus Tit. XV. Chron. Misn: fol. 194. & qui ejus legit vestigia, Peccenstein l. c. certò non definiunt, num castro aut oppido inhæserit *Burggraviatus*, sed in dubio potius relinquunt. Nullus tamen affirmare dubito, *Burggraviatus* honorem non oppido, sed *arci* fuisse  
se

*Se alligatum.* Sententiam hanc ut amplectar, sequentes me movent rationes. Nam primo, *Burggravius* ab Imperatore Henrico Aucupe huc fuit missus, ut castrum contra Hunnos, Venedos, Sorabos aliosq; gentiliū superstitioni adhuc addictos defenderet, & rerum quoque civilium gereret curam. Deinde quod de aliis dicitur *Burggraviatibus*, id de nostro quoque posse pronunciari, verò videtur simile. De aliis vero prædicatur, quod castris inhæreant. Patet hoc exemplo *Burggraviatus Norinbergensis*, castro, non urbi adjuncti; Quod si enim penes urbem fuerit, cur Magistratus castrum Burggravii cum aliis eò pertinentibus, à Friderico Burggraviorum ultimo, solutis ducentis & quadraginta mille florenis emit? Cur ab ipso statim fuit dirutum? Idem de *Burggraviatu Misnensi* est statuendū. Hic enim castro imperatorio adhæsit, non oppido, quod Misniæ Marchiones tenebant. Leisnicensis quoque, Kirchbergensis & Starckenbergensis *Burggraviatus* idem edocent. Præterea si *Burggraviatus* honor nostro oppido fuit annexus, cur Albertus Henrici Illustris filius, cui ex Monachi Pirnensis relatione *Margaretha* filia Friderici II. Imper: dotis loco oppidum & terram Plisnensem attulit, *Domini terræ Plisnensis*, non vero *Burggravii* titulum, utpote splendidiorē, sibi vindicavit? Quid est causæ, quod Parens Henricus eò non fuerit usus titulo in literis, A. C. 1256. 3. Non. Dec: scriptis, quibus jura ac immunitates Altenburgensium confirmat? Quare in iisdem *Burggravii* nullam

A 3

fecit

fecit mentionem, sed *Sculteti* tantum Altenburgensibus præficiendi. Adhæc *Burggravio* certa pecuniæ, frumenti, ligni &c. summa ex vicinis pagis, non urbe, quotannis redibat. Atque exinde ortum habere iudico *frumentum Burgense*, daß *Burg getreidig* / quod à quibusdam rusticis annuatim adhuc hodie penditur. Tandem & quorundam adjiciam argumentum à castri defensoribus, *Burgmannis*, petitum; Hi enim *feuda* quædam ob operas in castro locatas, possederunt, dicta *Burgensia*, die *Burglehn* / quibus uti fuerunt nobiles de *Stangen*, ut & *Gabelenz*. Ex literis contractus inter *Phil. Stangen* & *Gregorium Nebildovium*, *Cancellarium A. C.*, 1429. die Jovis post S. Johann; exaratis liquet, singulis septimanis novem novos grossos *Burgmanno* à vectigalium præfecto fuisse solutos, ut & so. vehes lignorum cum censibus quibusdam. In hoc autem negotio probè est attendendum, ut *Burggraviatus Altenburgensis* à *Comitatu Plisnensi* discernatur, quod factum in pompâ funebri Seren. Principum, mem: fel. *FRIDERICI WILHELMI, CHRISTIANI & FRIDERICI WILHELMI Jun.* Hoc enim observato dubia, difficilima licet, non multo labore possunt expediri. Ad ultimum devenio, quod *Burggraviorum Catalogum* exhibet. Hunc autem ob Majorum in consignandis reb<sup>9</sup> negligentiam, eo, quo debebat, ordine contexere non licet. Paucos tamen dabo. De *Ulrico* supra fuit dictum. *Georg. Fabritius* l. 1. Ann. Misn. fol. 40. meminit *Alberti, Burggravii Altenburgensis*, qui in causa  
Hu-

Hugonis Wolckenbergii, & Alberti Episcopi Misnensis  
A. C. 1162. fuit arbiter. Sic A. C. 1288. vixit Heinric<sup>9</sup>, qui  
molendinum in prato ad villam Lodlam situm fratrib<sup>9</sup>  
Domus Teutonicæ dono concessit, ut testantur literæ  
18. Febr. hîc datæ, in quibus *Dominum Ronneburgi* se  
appellat. Paulus Langius in Chron. Citic. f. 822. menti-  
onem injicit *Alberti Burggravi*, Monasterio Bozavi-  
ensi prope Cizam frumentum in Bodevvil donantis,  
quod factum est A. C. 1304. ut constat ex literis à Langio  
adductis. *Albertum* quoq; *Burggravi* *Altenburgen-*  
*sem* literæ Friderici Admorsii allegant, Rochlitii A. C. 1325.  
die Elifabethæ confectæ, quibus Ecclesiæ Selicensi pro-  
pe Rochlitium census aliquot, pro missis tribus habendis  
decernit. An verò idem cum priori, definire nequeo. Ad-  
dam & *Theodoricum*, qui, referente Joh. Schulzio Hist.  
rer. Prusf. f. 107. Ordinis Domus Teutonicæ Hospitalis S.  
Mariæ Magister in Hierusalē Generalis, Burggraviatu vel  
vendito, vel ablato, ut Leisnicensibus contigit, in Prussia  
circa A. C. 1341. est commoratus. Ex Burggraviorum  
prosapia ortum quoq; traxit *Elifabeta*, Ottonis Burg-  
gravi Leisnicensis, Dynastæq; Penicensis conjux, quæ  
judicio Penicensi dedit *rosam*, ut eadē in insigni utere-  
tur: sicut testatur Chron: Penicense Mistum f. 11. Proximâ  
autem agnatione *Burggravios Altenburgenses & Leisnicenses* fuisse  
conjunctos, ex multis probant bona censusq; quos Leis-  
nicenses post Altenburgensium obitum in agro nostro  
obtinuerunt. Et hæc de Burggraviis Altenburgensibus  
dixisse, sufficiat. De Altenburgo, ejus conditore, situ, ferti-  
lita-

9x ya 211  
sitate, moribus civium, Religione ac modo Rempubl. administrandi aliisq; nunc quædam essent addenda, sed uberiori tractationi cum Deo instituendæ eadem reservo. Interim si quis Patriæ historiam cognoscendi tenetur desiderio, nostrum quæso accedat Lyceum, audiatq; de ALTENBURGO perorantem ingenium speique eximia Juvenem

FRIDERICUM PANCRATIUM Kaysern/  
Viri Nobilissimi, Amplissimi ac Prudentissimi Dn. GEOR-  
GI Kayseri/ redituum Ducalium, qui in Ducatu Alten-  
burgensi colliguntur, ταμεία gravissimi, Patroni & Adfi-  
nis honoratissimi, filius natus minor, qui ut laudandis Fra-  
trum vestigiis insistat, & svaviss. Parentibus totiq; Fa-  
milie gaudia creet exoptata, ὀλοφρονέσθαι voveo. Huic  
enim flagrans in patriam amor svavor extitit autorq;ve,  
ut, antequam hinc discederet, in patriæ laudem ex cathe-  
dra Scholastica diceret. Quod cum hor. II. pomerid. fiet, Vos, Al-  
tenburgum qui incolitis, Cives Reipubl. literariæ colendi, rogatos  
volo, ut, quam Fœrsteri elapsis diebus in accedendo audiendoq;ve,  
Kaysero quoq;ve faciatis gratiam, benevolè non solum tempore  
præstituto comparentes, sed & auscultantes, quæ de patriâ gratiisq;  
habendis privatos inter parietes declamator noster, est medita-  
tus, quæq;ve in ejus laudem sequentes Scholæ nostræ alumni

JOH. BARTHOL. Freisleben/ Steinpl. Misn.

FRID. WILH. Glauder/

FRIDERICUS Zetsche &

JOH. MART. Zeidler Altenburgenses,

Ille Græco, isti Latino, & hic Germanico sermone ligato  
sunt commentati. Valete, Patroni Musarum ac Fautores  
Optimi, Vobisq;ve persuadete, nullum, quo vestrum in  
nostrorum conatus affectum possim demereri, officii  
studiiq;ve genus à me iri prætermisum. P. P. Altenburgi  
III. Eid. Maj. A. C. clc lcc LXXIII.

W 17 M. C.



Q. N. 122, 33.

(X 200)

D. H.  
AL TEN E

*qui favo*

*ut*

*ad audie*

ORATIONEM VA

*de*

AL TEN E

III. Eid. Maj. A. C.

H. L. C

recitand

*frequentes co*

*submissè, officiosè:*

conten

M. PAULUS MARTI

Rector Schol

AL TEN E

Typis Gothofredi Rich

